

DXXV.

⁷²¹ Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 86. 4. est: *Adversus Degeneres Christianos Ecclesie expositio: Leopoldo dickio II. doctore auctore*, qui fol. praevio sua manu haec notavit: *Suo foedericho (Naufae) apud Spiren: Nemetum diuini Verbi Concionat: Militi Sacramentario Leopoldus Dickius p. Dono dat. Incipit vero perpetua haec Ecclesiae Περσωνοποιου in istum modum: Illatum mihi iam vulnus usque acerbum occultare diucius nec possum, nec volo; quo animum leuarem, tum mentis dolorem extinguerem, nescio me vertere; vi enim geritur res, et quia student damnare tanquam nocentes etiam homines, quos sciunt innocentes: constare utique de innocentia mea volunt, quasi vero maior iniquitas sit, probatam innocentiam damnaesse, quam inauditam. &c. Ingreditur deinceps Ecclesia disputationem de Animorum immortalitate primum, dein de variis Fidei, Ceremoniarumque Capitibus, ita tamen, ut neque Catholici, neque Protestantes eam in totum suam esse velent. Erat enim Suevus noster Babenbusanus Comes Palat. tribunalis Imperial. ab aduocationibus et Caussarum Orator eorum e numero, quibus sub initia Motuum Religionis non satis ipsis liquebat, quid velle oporteat, quique aut profligata omnia clamabant, aut conciliationem*

quibusvis demum conditionibus urgebant. Magna illi Veterum lectio, etiam Graecorum, sed indigesta, scribendi methodus obscurior, stilus ampullosus et scaber. Id et in aliis ejus Scriptis observes, quae cum ab Joechoero obiter tacta, neque ab Adelungio subpleta videam, hic adnumerabo: *Ad Christum Sponsum Ecclesiae Sponsae Epistola. Ad Ant. Fuggerum. Data Augustae. 1523. praeuia Autoris Icone. 4. De dira et ultra hominum fidem exitiali Mediolanensium in Germanos milites seditione vera Narratio ad Carolum V. Nuncupata Udabrico a Schellenberg Mediolano 1526. 4. Adversus impios Anabaptistarum Errores. Ad Christoph. Ep. Augustanum. Haganoae 1530. 4. Ad universos Germaniae Proceres, Status et principes Viros — Adhortatio, ut tranquillitatem et super omnia Symboli Pacem cum percusso inter se denuo amoris foedere defendant. 1535. 4. cum adnexis Autoris Insignibus. De Sacrosancta Juris Disciplina amplectenda Oratio. Ad Othonem Walpurg. Moguntiae. 1541. 8. Paraphrastica Meditatio in Precationem Dominicam. Ad Card. Albertum. Moguntiae. 1543. 8. Paraclesis id est Adhortatio ad universos sub velamine Christi merentes Christicolae per modum concionis, ut errorum pedicis illaqueatos corrigant &c. Ad Matth. Langium Card. Salzburg. 4.*